The Digital *Liber exceptionum* Project (https://exceptiones-project.wlu.ca)

Gregorius moralium lib. 5 (fol.55va-57ra)

1. Sancti uiri cum sibi suppetere prospera huius mundi conspiciunt pauida suspicione turbantur. timent enim ne hic laborum suorum fructus recipiant. timent ne quod diuina iustitia latens in eis uulnus aspiciat et exterioribus eos eos muneribus cumulans ab intimis repellat.

   Quia ergo inter diuina iudicia graui incertitudinis suae caligine humana mens premitur, sancti uiri cum sibi suppetere prospera huius mundi conspiciunt, pauida suspicione turbantur. Timent enim ne hic laborum suorum fructus recipiant; timent ne quod diuina iustitia latens in eis uulnus aspiciat, et exterioribus eos muneribus cumulans, ab intimis repellat.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.1 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.218, ll.16-22).

2. Sancti uiri magis in hoc mundo prospera quam aduersa formidant. sciunt namque quia mens dum blanda occupatione premitur aliquando libens ad exteriora deriuatur.

   Vnde fit ut sancti uiri magis in hoc mundo prospera quam aduersa formident. Sciunt namque quia mens dum blanda occupatione premitur, aliquando libens ad exteriora deriuatur.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.1 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.219, ll.34-37).

3. Quia sancti uiri ita prosperitatem seculi despicientes calcant sicut et aduersitatem eius calcantes tolerant. per magnam mentis celsitudinem mundi sibi et aduersa et prospera substernentes dicunt. sicut tenebre eius ita et lumen eius. ac si apercius dicant. sicut intentionis nostre fortitudinem eius triscia non premunt. ita hanc nec blanda corrumpant.

   Quia enim sancti uiri ita prosperitatem saeculi despicientes calcant, sicut et aduersitatem eius calcantes tolerant per magnam mentis celsitudinem mundi sibi et aduersa et prospera substernentes dicunt: *Sicut tenebrae eius, ita et lumen eius*. Ac si apertius dicant: Sicut intentionis nostrae fortitudinem eius tristia non premunt, ita hanc nec blanda corrumpunt.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.2 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.219, ll.4-10). cf. Ps. 138:12

4. Quare data est lux misero. lux miseris datur quando hii qui sublimia contemplantes esse se in hac peregrinatione miseros agnoscunt claritatem transitorie prosperitatis accipiunt.

et cum ualde defleant quia tarde ad patriam redeunt tolerare insuper honoris onera compelluntur.

Vnde bene nunc dicitur: *Quare data est misero lux?* Lux enim miseris datur quando hi qui sublimia contemplantes, esse se in hac peregrinatione miseros agnoscunt, claritatem transitoriae prosperitatis accipiunt. Et cum ualde defleant quia tarde ad patriam redeunt, tolerare insuper honoris onera compelluntur.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.2 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.219-20, ll.13-19). cf. Iob 3:20

5. Et uita hiis qui in amaritudine anime sunt. In amaritudine anime sunt omnes electi. quia uel punire flendo non desinunt que deliquerunt. uel graui se merore afficiunt quia longe huc a facie conditoris proiecti adhuc in eterne patrie gaudiis non sunt.

   Et uita his qui in amaritudine animae sunt. In amaritudine quippe animae sunt omnes electi, quia uel punire flendo non desinunt quae deliquerunt, uel graui se maerore afficiunt, quia longe huc a facie conditoris proiecti, adhuc in aeternae patriae gaudiis non sunt.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.3 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.220, ll.1-5). cf. Iob 3:20

6. Per salomonem dicitur quod cor quod nouit amaritudinem anime sue in gaudio illius non miscebitur extraneus. cor bonorum amaritudinem suam nouit. quia erumpnam exilii in qua proiectum laceratur intelligit. et quam sint tranquilla que perdidit quam confusa in quibus cecidit sentit. sed hoc amaricatum cor ad gaudium suum quandoque reducitur atque in eius gaudio extraneus non miscetur. quia is qui nunc ab hoc merore cordis foras se per desideria eicit seclusus tunc ab intima illa eius sollempnite remanebit. hii itaque qui in amaritudine anime sunt mori mundo funditus concupiscunt. ut sicut in seculo ipsi nichil appetunt ita iam a seculo nulla obligatione teneantur.

   De quorum corde bene per Salomonem dicitur: *Cor quod nouit amaritudinem animae suae in gaudio illius non miscebitur extraneus*…. At contra cor bonorum amaritudinem suam nouit, quia aerumnam exsilii, qua proiectus laceratur, intelligit; et quam sint tranquilla quae perdidit, quam confusa in quibus cecidit, sentit. Sed hoc amaricatum cor ad gaudium suum quandoque reducitur, atque in eius gaudio extraneus non miscetur; quia is qui nunc ab hoc maerore cordis foras se per desideria elicit, seclusus tunc ab illa intima eius solemnitate remanebit. Hi itaque qui in amaritudine animae sunt, mori mundo funditus concupiscunt; ut sicut in saeculo ipsi nihil appetunt, ita iam a saeculo nulla obligatione teneantur.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.3 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.220, ll.5-7, 11-21). cf. Prou. 14:10

7. Mihi mundus crucifixus est et cetera. quia nec paulus mundi gloriam querebat nec a mundi gloria ipse querebatur et se mundo et mundum sibi crucifixum esse gloriabatur.

   Vnde bene Paulus, cum et ipse saeculum perfecte despiceret et talem se factum uideret quem iam hoc saeculum concupiscere omnino non posset, ruptis huius uitae uinculis liber dicit: *Mihi mundus crucifixus est et ego mundo*…. Quia igitur Paulus nec mundi gloriam quaerebat, nec a mundi gloria ipse quaerebatur, et se mundo et mundum sibi crucifixum esse gloriatur.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*. 5.3 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.221, ll.26-30, 42-44). cf. Gal. 6:14

8. Qui exspectant mortem et non uenit. desiderant aliqui se mortificare funditus. atque ab omni uita glorie temporalis extinguere. sed occultis sepe dei iudiciis uel preesse in regimine uel occupari iniunctis honoribus compelluntur.

   Qui exspectant mortem et non uenit. Desiderant quippe mortificare se funditus atque ab omni uita gloriae temporalis exstinguere; sed occultis saepe Dei iudiciis uel praeesse in regimine, uel occupari iniunctis honoribus compelluntur, atque inter haec mortificationem plenissimam indesinenter exspectant.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.4 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.222, ll.1-6). cf. Iob 3:21

9. Mira diuinitatis pietate agitur cum is qui perfecto corde ad contemplationem tendit humanis ministeriis occupatur. ut et multis infirmioribus eius mens perfecta proficiat. et quo semet ipsum imperfectum respicit inde ad humilitatis culmen perfectior assurgat.

   Mira enim diuinitatis pietate agitur, cum is qui perfecto corde ad contemplationem tenditur, humanis ministeriis occupatur; ut et multis infirmioribus eius mens perfecta proficiat et quo se ipse imperfectum respicit, inde ad humilitatis culmen perfectior assurgat.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.4 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.222, ll.11-16).

10. In lectulo meo per noctes quesiui et cetera. abscondit se cum queritur sponsus ut non inuentus ardencius queratur et differtur querens sponsa ne inueniat ut tarditate sua capacior reddita multiplicius quandoque inueniat quod querebat.

Vnde bene sponsa in sponsi sui desiderio anhelans clamat: *In lectulo meo per noctes quaesiui quem diligit anima mea; quaesiui illum et non inueni*. Abscondit se sponsus cum quaeritur ut non inuentus ardentius quaeratur; et differtur quaerens sponsa ne inueniat, ut tarditate sua capacior reddita, multiplicius quandoque inueniat quod quaerebat.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.4 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.222-3, ll.29-34). cf. Cant. 3:1

11. Quasi effodientes thesaurum. Omnes qui fodientes thesaurum querunt cum fodere alcius ceperint ad laborem instancius inardescunt. quia quo se thesauro abscondito iam iamque apropinquare estimant eo in fodiendo enixius laborant. qui igitur plene mortificationem suam appetunt. quasi effodientes thesaurum querunt. quia quanto fiunt uiciniores ad finem tanto se exhibent ardentiores in opere.

    Quasi effodientes thesaurum. Omnes namque qui fodiendo thesaurum quaerunt, cum fodere altius coeperint, ad laborem instantius inardescunt. Quia quo se thesauro abscondito iam iamque appropinquare aestimant, eo in effossione enixius laborant. Qui igitur plene mortificationem suam appetunt quasi effodientes thesaurum quaerunt; quia quanto fiunt uiciniores ad finem, tanto se exhibent ardentiores in opere.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.5 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.223, ll.1-8). cf. Iob 3:21

12. Non deserentes collectionem et cetera. laborantem consolari est pariter in labore persistere. quia subleuatio laboris est uisio colaborantis.

    Vnde bene Paulus quibusdam absconditum aeternae patriae thesaurum quaerentibus dicit: *Non deserentes collectionem nostram, sicut est consuetudinis quibusdam, sed consolantes et tanto magis, quanto uideritis appropinquantem diem*. Laborantem quippe consolari, est pariter in labore persistere, quia subleuatio laboris est uisio collaborantis; sicut cum in itinere comes iungitur, uia quidem non abstrahitur, sed tamen de societate comitis labor itineris leuatur.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.5 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.223, ll.10-18). cf. Hebr. 10:25

13. Tanto magis quanto uideritis apropinquantem diem et cetera. ac si diceret. eo labor crescat quo ipsa iam premia laboris apropinquant. uelud si aperte dicat. thesaurum queritis sed eo fodere ardencius debetis. quo iam iuxta quesitum aurum fodiendo peruenistis.

    Dum itaque Paulus consolantes se in labore quaereret, adiunxit dicens: *Tanto magis, quanto uideritis appropinquantem diem*. Ac si diceret: Eo labor crescat, quo ipsa iam

praemia laboris appropinquant; uelut si aperte dicat: Thesaurum quaeritis? sed eo fodere ardentius debetis, quo iam iuxta quaesitum aurum fodiendo peruenistis.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.5 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.223, ll.18-23). cf. Hebr. 10:25

14. Gaudentque uehementer cum inuenerint sepulcrum. Sicut sepulcrum locus est quo absconditur corpus ita diuina contemplatio quoddam sepulcrum mentis est. quo absconditur anima. quasi enim adhuc huic mundo uiuimus cum mente foris in eum uagamur sed mortui in sepulcro abscondimur dum mortificati exterius in secreto interne contemplationis celamur. Sancti igitur uiri ab importunitate desideriorum temporalium a tumultu inutilium curarum a clamore perstrepentium perturbationum semet ipsos sacri uerbi gladio mortificare non desinunt. atque ante dei faciem in sinu mentis abscondunt.

Gaudentque uehementer cum inuenerint sepulcrum. Sicut enim sepulcrum locus est quo absconditur corpus, ita diuina contemplatio quoddam sepulcrum mentis est quo absconditur anima. Quasi enim huic adhuc mundo uiuimus, cum mente in eum foras uagamur; sed mortui in sepulcro abscondimur, cum mortificati exterius in secreto internae contemplationis celamur. Sancti igitur uiri ab importunitate desideriorum temporalium, a tumultu inutilium curarum, a clamore perstrepentium perturbationum, semetipsos sacri uerbi gladio mortificare non desinunt, atque intus ante Dei faciem in sinu mentis abscondunt.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.6 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.224, ll.1-11). cf. Iob 3:22

15. Qui mortem querit gaudet dum sepulcrum inuenit. quia qui mortificare se appetit ualde ad inuentam requiem contemplationis hilarescit. ut extinctus mundo lateat. et cunctis exteriorum rerum perturbationibus intra suum se intimi amoris abscondat.

Qui ergo mortem quaerit, gaudet dum sepulcrum inuenit, quia qui mortificare se appetit, ualde ad inuentam requiem contemplationis hilarescit; ut exstinctus mundo lateat et cunctis exteriorum rerum perturbationibus intra sinum se intimi amoris abscondat.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.6 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.225, ll.20-24).

16. Antiqui mortuos cum diuiciis obruebant. qui igitur thesaurum querit gaudet cum sepulcrum inuenerit. quia sapientiam perquirentes cum sacre scripture paginas uoluimus cum exempla precedencium scriptura perscrutamur quasi ex sepulcro gaudium sumimus quia mentis diuicias apud mortuos inuenimus.

Si uero ad hoc quod thesaurus effodi dicitur, etiam sepulcri inuentio subinfertur, hoc necesse est ut intentio nostra conspiciat quod antiqui mortuos cum diuitiis obruebant. Qui

igitur thesaurum quaerit, gaudet cum sepulcrum inuenit, quia sapientiam perquirentes, cum sacrae scripturae paginas uoluimus, cum exempla praecedentium perscrutamur, quasi ex sepulcro gaudium sumimus, quia mentis diuitias apud mortuos inuenimus; qui quia huic mundo perfecte exstincti sunt in occulto cum diuitiis requiescunt.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.6 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.225, ll.25-33).

17. Antequam comedam suspiro. Comedere est anime superne contemplationibus pasci. suspirat ergo antequam comedat. quia prius gemitibus tribulationis afficitur. et postmodum contemplationis refectione saciatur.

Antequam comedam, suspiro. Comedere namque est animae, supernae lucis contemplationibus pasci. Suspirat ergo antequam comedat quia prius gemitibus tribulationis afficitur, et postmodum contemplationis refectione satiatur.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.8 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.227, ll.1-5). cf. Iob 3:24

18. Luctu suo anima pascitur cum ad superna gaudia flendo subleuatur.

Luctu enim suo anima pascitur, cum ad superna gaudia flendo subleuatur, et intus quidem doloris sui gemitus tolerat; sed eo refectionis pabulum percipit quo uis amoris per lacrimas emanat.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.8 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.227, ll.11-15).

19. Quia timor quem timebam euenit mihi et cetera. Quis nouit potestatem ire tue? potestas ire diuine nostra non potest mente comprehendi quia eius dispensatio obscuris super nos dispositionibus sepe unde estimatur deserere. inde nos recipit. et unde nos recipere creditur inde derelinquit. ut plerumque hoc fiat gratia quod ira traditur et hoc aliquando ira sit quod gratia putatur.

Quia timor quem timebam euenit mihi, et quod uerebar, accidit…. Quod bene psalmista considerans ait: *Quis nouit potestatem irae tuae?* Potestas quippe diuinae irae nostra non potest mente comprehendi quia eius dispensatio obscuris super nos dispositionibus, saepe unde aestimatur deserere, inde nos recipit. Et unde nos recipere creditur inde derelinquit ut plerumque hoc fiat gratia quod ira dicitur, et hoc aliquando ira sit quod gratia putatur.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.10 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.228-9, ll.1-2, 7-13). cf. Iob 3:25; Ps. 89:11

20. Nonne dissimulaui. et cetera. quamuis quolibet in loco positi cogitando loquendo agendo peccemus tunc tamen per tria hec animus effrenatius rapitur. cum mundi huius

prosperitate subleuatur. nam cum preire se potestate ceteros conspicit et cum auctoritati uocis a nullo resistitur lingua licentius per abrupta diffrenatur. cumque facere quod libet licet iuste sibi omne estimat licere quod libet.

Nonne dissimulaui? nonne silui? nonne quieui? et uenit super me indignatio. Quamuis quolibet in loco positi, cogitando, loquendo, agendo peccemus, tunc tamen per tria haec animus effrenatius rapitur cum mundi huius prosperitate subleuatur. Nam cum praeire se potestate ceteros conspicit, alta de se elate cogitans sentit. Et cum auctoritati uocis a nullo resistitur, lingua licentius per abrupta diffrenatur. Cumque facere quod libet, licet, iuste sibi omne aestimat licere quod libet.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.11 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.229, ll.1-9). cf. Iob 3:26

21. Solus in illicitis non cadit qui se aliquando et a licitis caute restringit.

    Solus enim in illicitis non cadit, qui se aliquando et a licitis caute restringit.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.11 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.230, ll.33-35).

22. Potestas cum habetur et cogitanda est ad utilitatem et dissimulanda propter timorem quatenus is qui ea utitur et ut prodesse debeat posse se sciat et ut extolli non debeat posse se nesciat.

    Potestas namque cum habetur et cogitanda est ad utilitatem, et dissimulanda propter tumorem; quatenus is qui ea utitur, et ut prodesse debeat posse se sciat; et ut extolli non debeat posse se nesciat.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.11 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.230, ll.45-48).

23. Nequaquam mens ad superna attollitur si curarum tumultibus continue in infimis occupatur. quid enim de deo occupata obtineat que de illo apprehendere aliquid etiam uacans laborat. bene autem per psalmistam dicitur. uacate et uidete et cetera. quia qui uacare deo negligit suo sibi iudicio lumen eius uisionis abscondit.

    Sciunt enim quia nequaquam mens ad superna attollitur, si curarum tumultibus continue in infimis occupatur. Quid enim de Deo occupata obtineat quae de illo apprehendere aliquid etiam uacans laborat. Bene autem per psalmistam dicitur: *Vacate et uidete quoniam ego sum Deus*; quia qui uacare Deo neglegit, suo sibi iudicio lumen eius uisionis abscondit.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.11 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.231, ll.57-63). cf. Ps. 45:11

24. Qui temporalibus rebus occupantur tunc bene exteriora disponunt cum sollicite ad interiora refugiunt. cum nequaquam foris perturbationum strepitus diligunt. sed apud semet ipsos intus in tranquillitatis sinu requiescunt.

    Qui ergo rebus temporalibus occupantur, tunc bene exteriora disponunt cum sollicite ad interiora refugiunt; cum nequaquam foras perturbationum strepitus diligunt, sed apud semetipsos intus in tranquillitatis sinu requiescunt.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.11 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.231, ll.69-73).

25. Sepe ipsa nostra iustitia ad examen diuine iustitie deducta iniustitia est. et sordet in districtione iudicis quod in estimatione fulget operantis.

    Iusta itaque indesinenter faciunt sed assidue dura patiuntur, quia saepe ipsa nostra iustitia, ad examen diuinae iustitiae deducta, iniustitia est et sordet in districtione iudicis quod in aestimatione fulget operantis.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.11 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.232, ll.113-117).

26. Per salomonem dicitur. qui dimittit aquam capud est iurgiorum. aqua quippe dimittitur cum lingue fluxus effrenatur. sed dimissor aque iurgiorum capud efficitar. quia per lingue incontinentiam discordie origo propinatur.

    Vnde bene per Salomonem dicitur: *Qui dimittit aquam, caput est iurgiorum*. Aqua quippe dimittitur cum linguae fluxus effrenatur. Sed dimissor aquae iurgiorum caput efficitur, quia per linguae incontinentiam discordiae origo propinatur.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.13 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.238-9, ll.16-20). cf. Prou. 17:14

27. Ecce docuisti plurimos et cetera. nonquam est tam robustum uite testimonium quam cum ille laudanda loquitur qui ingerere crimen conatur.

    Ecce docuisti plurimos et manus lassas roborasti; uacillantes confirmauerunt sermones tui, et genua trementia confortasti…. Nunquam quippe est tam robustum uitae testimonium, quam cum ille laudanda loquitur qui ingerere crimen conatur.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.14 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.239, ll.1-3, 6-8).

28. Ille uere perfectus est qui erga imperfectionem proximi impatiens non est. nam qui alienam imperfectionem ferre non ualens deserit ipse sibi testis est quod perfecte necdum profecit.

Ille enim uere perfectus est qui erga imperfectionem proximi impatiens non est. Nam qui alienam imperfectionem ferre non ualens deserit, ipse sibi testis est quod perfecte necdum proficit.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.16 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.241, ll.30-33).

29. Qui pacientiam tenet animam possidet. quia inde contra aduersa omnia fortis efficitur. Vnde sibi et seipsum uincendo dominatur. et quo se laudabiliter frangit infractum se fortiter exerit. quia cum in suis se uoluptatibus superat sese ad contraria inuictum parat.

    Qui igitur patientiam tenet, animam possidet; quia inde contra aduersa omnia fortis efficitur, unde sibi et semetipsum uincendo dominatur. Et quo se laudabiliter frangit, infractum se fortiter exserit; quia cum in suis se uoluptatibus superat, sese ad contraria inuictum parat.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.16 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.241, ll.36-41).

30. Apostata angelus recte mirmicoleon id est leo et formica dicitur. formicis enim leo est uolatilibus formica. quia nimirum antiquus hostis sicut contra consentientes fortis est ita contra resistentes debilis. si enim eius suggestionibus assensus prebetur. quasi leo tolerari nequaquam potest. si autem resistitur quasi formica erit.

    Quod uidelicet animal absconsum puluere, formicas ut diximus, frumenta gestantes interficit; quia nimirum apostata angelus in terram de caelis proiectus, iustorum mentes quae bonorum sibi operum refectionem praeparant, in ipso actionis itinere obsidet; cumque has per insidias superat quasi formicas frumenta gestantes improuisus necat. Recte autem myrmicoleon, id est leo et formica dicitur Formicis enim ut diximus, leo est uolatilibus formica, quia nimirum antiquus hostis sicut contra consentientes fortis est, ita contra resistentes debilis. Si enim eius suggestionibus assensus praebetur quasi leo tolerari nequaquam potest; si autem resistitur quasi formica atteritur.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.22 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.248, ll.12-24).

31. Porro ad me dictum est absconditum uerbum. absconditum uerbum audire est locutionem sancti spiritus corde concipere. que profecto sciri non potest nisi a quo haberi potest.

    Porro ad me dictum est uerbum absconditum…. Absconditum ergo uerbum audire, est locutionem sancti Spiritus corde concipere. Quae profecto sciri non potest, nisi a quo haberi potest.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.28 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.252, ll.1-2, 14-16). cf. Iob 4:12

32. Cum diuina aspiratio sine strepitu mentem subleuat uerbum absconditum auditur quia sermo spiritus in aure cordis silenter sonat. Vnde et subditur. et quasi furtiue suscepit auris mea uenas susurrii eius.

Cum igitur diuina aspiratio sine strepitu mentem subleuat, uerbum absconditum auditur, quia sermo Spiritus in aure cordis silenter sonat. Unde et subditur: *Et quasi furtiue suscepit auris mea uenas susurrii eius*.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.28-29 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.252-3, ll.33-36, 1-2). cf. Iob 4:12

33. Venas susurrii superni auris cordis furtiue suscipit. quia subtilitatem locutionis intime afflata mens et raptim et occulte cognoscit. nisi enim se ab exterioribus desideriis abscondat interna non penetrat. occultatur ergo ut audiat et audit ut occultetur. et subtracta uisibilibus inuisibilia conspicit et repleta inuisibilibus uisibilia perfecte contemnit.

Venas superni susurrii auris cordis furtiue suscipit quia subtilitatem locutionis intimae afflata mens et raptim et occulte cognoscit. Nisi enim se ab exterioribus desideriis abscondat, interna non penetrat. Et occultatur ut audiat, et audit ut occultetur; quia et subtracta a uisibilibus inuisibilia conspicit, et repleta inuisibilibus uisibilia perfecte contemnit.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.29 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.253, ll.2-8).

34. In horrore uisionis nocturne. horror nocturne uisionis est pauor occulte contemplationis. humana et enim mens quo alcius eleuata que sint eterna considerat eo de factis temporalibus grauius tremefacta formidat.

In horrore uisionis nocturnae. Horror nocturnae uisionis est pauor occultae contemplationis. Humana etenim mens quo altius eleuata, quae sint aeterna considerat, eo de factis temporalibus grauius tremefacta formidat; quia tanto se ream uerius cernit quanto se ab illo lumine discrepasse quod super se intermicat conspicit; sicque fit ut illuminata plus metuat quia magis aspicit a ueritatis regula per quanta discordat; eamque graui formidine suus ipse profectus quatiat, quae prius quasi securius nihil uidebat.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.30 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.254-5 , ll.1-9). cf. Iob 4:13

35. Quia ad contemplandum interni solis radium nubes sese nostre corruptionis interserit. nec ad infirmos nostre mentis oculos illud sicut est incommutabile lumen erumpit. adhuc deum quasi in nocturna uisione cernimus cum procul dubio sub incerta contemplatione caligamus.

Quia igitur ad contemplandum interni solis radium, nubes sese nostrae corruptionis interserit nec ad infirmos mentis nostrae oculos illud, sicut est, incommutabile lumen erumpit; adhuc Deum quasi in nocturna uisione cernimus cum procul dubio sub incerta contemplatione caligamus.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.30 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.255, ll.14-19).

36. Quando solet sopor occupare homines. quisquis ea que mundi sunt agere appetit quasi uigilat. quisquis uero internam quietem querens huius mundi strepitum fugit uelud obdormiscit.

Quando solet sopor occupare homines. Quisquis ea quae mundi sunt agere appetit quasi uigilat; quisquis uero internam quietem quaerens, huius mundi strepitum fugit, uelut obdormiscit.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.31 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.255, ll.1-4). cf. Iob 4:13

37. Sompno calcatis carnis desideriis quies uite figuratur. sicut sponse uoce in canticorum cantico dicitur. ego dormio et cor meum uigilat. quia uidelicet sancta mens quo se ab strepitu temporalis concupiscentie comprimit eo uerius interna cognoscit et tanto alacrius ad intima uigilat quanto se ab exteriori inquietudine occultat.

Somno quoque calcatis carnis desideriis quies uitae figuratur sicut sponsae uoce in canticorum Cantico dicitur: *Ego dormio et cor meum uigilat*; quia uidelicet sancta mens quo se ab strepitu temporalis concupiscentiae comprimit, eo uerius interna cognoscit; et tanto alacrius ad intima uigilat quanto se ab exteriori inquietudine occultat.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.31 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.256, ll.14-19). cf. Cant. 5:2

38. Ille dormiens angelos conspicit qui in lapide capud ponit. quia nimirum ipse ab exterioribus cessans interna penetrat qui intenta mente que principale est hominis imitationem sui redemptoris obseruat. caput quippe in lapide ponere est mente christo inherere. qui enim a presentis uite actione remoti sunt sed ad superna nullo amore rapiuntur dormire possunt. sed uidere angelos nequeunt quia capud in lapide tenere contempnunt.

Et notandum ualde est quod ille dormiens angelos conspicit qui in lapide caput ponit; quia nimirum ipse ab exterioribus operibus cessans, interna penetrat, qui intenta mente quae principale est hominis, imitationem sui redemptoris obseruat. Caput quippe in lapide ponere est mente Christo inhaerere. Qui enim a praesentis uitae actione remoti sunt, sed

ad superna nullo amore rapiuntur, dormire possunt, sed uidere angelos nequeunt quia caput in lapide tenere contemnunt.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.31 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.256, ll.36-43).

39. Viderunt eam hostes et deriserunt sabbata eius. hostes sabbata uidentes irrident. cum maligni spiritus ipsa uacationis ocia ad cogitationes illicitas pertrahunt. ut unaqueque anima. quo remota ab externis actionibus deo seruire creditur. eo magis eorum tirannidi illicita cogitando famuletur. Sancti autem uiri qui a mundi operibus non torpore sed uirtute sopiuntur laboriosius dormiunt. quam uigilare potuerunt. quia in eo quod actiones huius seculi deserentes superant robusto conflictu cotidie cum semet ipsos pugnant. ne mens per negligentiam torpeat. ne subacta ocio ad desideria immunda frigescat. ne in ipsis bonis desideriis plus iusto inferueat. ne sub discretionis specie sibimet parcendo a perfectione languescat.

Vnde sub Iudaeae specie per prophetam torpens otio anima defletur cum dicitur: *Viderunt eam hostes et deriserunt sabbata eius*…. Hostes ergo sabbata uidentes irrident, cum maligni spiritus ipsa uacationis otia ad cogitationes illicitas pertrahunt; ut unaquaeque anima quo remota ab externis actionibus Deo seruire creditur, eo magis eorum tirannidi illicita cogitando famuletur. Sancti autem uiri quia a mundi operibus non torpore, sed uirtute sopiuntur, laboriosius dormiunt quam uigilare potuerunt, quia in eo quod actiones huius saeculi deserentes superant, robusto conflictu cotidie contra semetipsos pugnant, ne mens per negligentiam torpeat, ne subacta otio ad desideria immunda frigescat, ne in ipsis bonis desideriis plus iusto inferueat, ne sub discretionis specie sibimet parcendo a perfectione languescat.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.31 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.257, ll.50-52, 53-64). cf. Thren. 1:7

40. Cum spiritus me presente transiret inhorruerunt pili carnis mee. nobis presentibus spiritus transit quando inuisibilia cognoscimus. et tamen hec non solide sed raptim uidemus. neque enim in suauitate contemplationis intime diu mens figitur. quia ad semet ipsam ipsa immensitate luminis reuerberata reuocatur. cumque internam dulcedinem degustat amore estuat. ire super semet ipsam nititur. sed ad infirmitatis sue tenebras fracta relabitur. et magna uirtute proficiens uidet quia uidere non possit. hoc quod ardenter diligit. nisi aliquatenus uideret.

Et cum spiritus me praesente transiret, inhorruerunt pili carnis meae. Nobis praesentibus spiritus transit quando inuisibilia cognoscimus, et tamen haec non solide sed raptim uidemus. Neque enim in suauitate contemplationis intimae diu mens figitur, quia ad semetipsam ipsa immensitate luminis reuerberata reuocatur. Cumque internam dulcedinem degustat, amore aestuat, ire super semetipsam nititur, sed ad infirmitatis suae

tenebras fracta relabitur. Et magna uirtute proficiens uidet quia uidere non possit hoc quod ardenter diligit, nec tamen ardenter diligeret, nisi aliquatenus uideret.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.33 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.259-60, ll.1-11). cf. Iob 4:15

41. Inhorruerunt pili carnis mee. transeunte spiritu pili pertimescunt. quia ante compunctionis uim cogitationes superflue fugiunt. ut nichil fluxum nichil iam remissum libeat quia afflatam mentem etiam contra semet ipsam uisitationis intime seueritas inflammat.

    Vnde recte nunc dicitur: *Cum spiritus me praesente transiret, inhorruerunt pili carnis meae*…. Transeunte ergo spiritu pili pertimescunt, quia ante compunctionis uim cogitationes superfluae fugiunt ut nihil fluxum, nihil iam remissum libeat, quia afflatam mentem etiam contra semetipsam uisitationis intimae seueritas inflammat.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.33 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.260-1, ll.37-39, 44-48). cf. Iob 4:15

42. Et uocem quasi aure lenis audiui. spiritus sanctus cum se noticie humane infirmitatis insinuat et sonitu uehementis spiritus et uoce aure lenis exprimitur quia ueniens et uehemens est et lenis. lenis quia noticiam suam quatinus cognosci ut cunque ualeat nostris sensibus temperat. uehemens quia quantumlibet hanc temperet aduentu tamen suo infirmitatis nostre cecitatem illuminando perturbat. Illustratione enim sua nos leniter tangit sed inopiam nostram immaniter concutit.

    Et uocem quasi aurae lenis audiui…. Sanctus enim Spiritus cum se notitiae humanae infirmitatis insinuat et sonitu uehementis spiritus, et uoce aurae lenis exprimitur; quia uidelicet ueniens et uehemens est et lenis: lenis quia notitiam suam, quatenus cognosci utcumque ualeat, nostris sensibus temperat; uehemens quia quantumlibet hanc temperet, aduentu tamen suo infirmitatis nostrae caecitatem illuminando perturbat. Illustratione enim sua nos leniter tangit sed inopiam nostram immaniter concutit.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.36 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.264, ll.1, 8-16). cf. Iob 4:16

43. Spiritus ante dominum euertit montes et petras conterit quia pauor qui ex aduentu eius irruit et altitudinem cordis nostri deicit et duriciam liquefacit. sed spiritui commotionis et igni non inesse dicitur dominus id est esse uero in sibilo aure tenuis non negatur. quia nimirum mens cum in contemplationis sublimitate suspenditur quicquid perfecte conspicere preualet deus non est. cum uero aliquid subtile conspicit. hoc est quod de incomprehensibili substantia eternitatis audit. quasi enim sibilum tenuis aure percipimus. cum saporem incircumscripte ueritatis contemplatione subita subtiliter degustamus.

Spiritus quippe ante Dominum euertit montes et petras conterit; quia pauor qui ex aduentu eius irruit, et altitudinem cordis nostri deicit et duritiam liquefacit. Sed spiritui commotionis et igni non inesse Dominus dicitur, esse uero in sibilum aurae tenuis non negatur; quia nimirum mens cum in contemplationis sublimitate suspenditur, quicquid perfecte conspicere praeualet, Deus non est. Cum uero subtile aliquid conspicit, hoc est quod de incomprehensibili substantia aeternitatis audit. Quasi enim sibilum tenuis aurae percipimus cum saporem incircumscriptae ueritatis contemplatione subita subtiliter degustamus.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.36 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.265, ll.41-52).

44. Nonquid homo dei comparatione iustificabitur aut factore suo purior erit? humana iustitia diuine iusticie comparata iniustitia est. quia et lucerna in tenebris fulgere cernitur. sed in solis radio posita tenebratur.

Numquid homo Dei comparatione iustificabitur, aut factore suo purior erit uir? Humana iustitia diuinae iustitiae comparata, iniustitia est, quia et lucerna in tenebris fulgere cernitur sed in solis radio posita tenebratur.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.37 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.266, ll.1-5). cf. Iob 4:17

45. Virum stultum interficit iracundia. tu autem domine cum tranquillitate iudicas. sciendum nobis magnopere est. quia quotiens turbulentos animi motus sub mansuetudinis uirtute restringimus redire ad similitudinem conditoris conamur. nam cum tranquillitatem mentis ira diuerberat dilaniatam quodam modo scissamque perturbat ut sibimet ipsi non congruat ac uim intime similitudinis amittat.

Virum stultum interficit iracundia et paruulum occidit inuidia…. Sed nos pensemus quod dicitur, quamuis ab auditoris sui uirtute relidatur ut ostendamus quam rectum est quod promitur, si non in beatum Iob iniuste promeretur, cum scriptum sit: *Tu autem, Domine, cum tranquillitate iudicas*. Sciendum nobis magnopere est quia quotiens turbulentos motus animi sub mansuetudinis uirtute restringimus, redire ad similitudinem conditoris conamur. Nam cum tranquillitatem mentis ira diuerberat, dilaniatam quodam modo scissamque perturbat, ut sibimetipsi non congruat ac uim intimae similitudinis amittat.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.45 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.275-6, ll.1-2, 3-12). cf. Iob 5:2; Sap. 12:18

46. Per iram sapiencia perditur ut quid quo ue ordine agendum sit omnino nesciatur.

Per iram sapientia perditur, ut quid quoque ordine agendum sit omnino nesciatur, sicut scriptum est: *Ira in sinu stulti requiescit*; quia nimirum intellegentiae lucem subtrahit cum mentem permouendo confundit.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.45 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.276, ll.14-18). cf. Eccl. 7:10

47. Super quem requiescet spiritus meus et cetera. cum humilem diceret quietum protinus adiunxit. si ergo ira quietem mentis subtrahit suam sancto spiritui habitationem claudit. cuius recessione animus uacuus ad apertam mox insaniam ducitur et usque ad superficiem ab intimo cogitationum fundamento dissipatur. Nam ire sue stimulis accensum cor palpitat. corpus tremit lingua se prepedit. facies ignescit. exasperantur oculi et nequaquam recognoscuntur noti. ore quidem clamorem format. sed sensus quid loquatur ignorat.

Per iram sancti Spiritus splendor excluditur, quo contra iuxta uetustam translationem scriptum est: *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum et trementem sermones meos?* Cum enim humilem diceret, quietum protinus adiunxit. Si ergo ira quietem mentis subtrahit, suam sancto Spiritui habitationem claudit, cuius recessione animus uacuus, ad apertam mox insaniam ducitur, et usque ad superficiem ab intimo cogitationum fundamento dissipatur. Nam irae suae stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se praepedit, facies ignescit, exasperantur oculi et nequaquam recognoscuntur noti. Ore quidem clamorem format, sed sensus quid loquatur ignorat.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.45 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.276-7, ll.36-47). cf. Is. 66:2

48. Aliquando ira perturbato animo quasi ex iudicio silencium indicit et quo se foris per linguam non exprimit. intus deterius ignescit ut iratus quisque collocutionem suam proximo subtrahat et nil dicendo quam sit aduersus dicat.

Aliquando ira perturbato animo quasi ex iudicio silentium indicit; et quo se foras per linguam non exprimit, intus deterius ignescit ut iratus quisque collocutionem suam proximo subtrahat, et nihil dicendo quam sit auersus dicat.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.45 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.277, ll.58-62).

49. Plerumque per silencium clausa ira intra mentem uehementius exestuat et clamosas tacita uoces format uerba sibi quibus exasperetur obicit et quasi in cause examine posita durius exasperata respondet.

Plerumque ira per silentium clausa intra mentem uehementius aestuat et clamosas tacita uoces format; uerba sibi quibus exasperetur obicit, et quasi in causae examine posita durius exaperata respondet; quod Salomon breuiter insinuat dicens: *Praestolatio impiorum furor*.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.45 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.277, ll.70-74). cf. Prou. 11:23

50. Duobus modis fracta possidere animum ira dissuescit. primus est ut mens sollicita antequam agere quodlibet incipiat omnes sibi quas pati potest contumelias proponat. quatinus redemptoris sui probra cogitans ad aduersa se preparet. que nimirum ueniencia tanto fortior excipit quanto se cautius ex prescientia armauit.

Duobus etenim modis fracta possidere animum ira desuescit. Primus quippe est ut mens sollicita antequam agere quodlibet incipiat, omnes sibi quas pati potest, contumelias praeponat, quatenus Redemptoris sui probra cogitans, ad aduersa se praeparet. Quae nimirum uenientia tanto fortior excipit quanto se cautius ex praescientia armauit.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.45 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.278, ll.96-101).

51. Secundus seruande consuetudinis modus est ut cum alienos excessus aspicimus nostra quibus in aliis excessimus delicta cogitemus. Considerata quippe infirmitas propria nobis excusat mala aliena. Pacienter namque illatam iniuriam tolerat qui pie meminit quod fortasse adhuc habeat in quo debeat ipse tolerari.

Secundus autem seruandae mansuetudinis modus est ut cum alienos excessus aspicimus, nostra, quibus in aliis excessimus, delicta cogitemus. Considerata quippe infirmitas propria, mala nobis excusat aliena. Patienter namque illatam iniuriam tolerat, qui pie meminit quod fortasse adhuc habeat, in quo debeat ipse tolerari.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.45 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.279, ll.111-116).

52. Turbatus est pre ira oculus meus et cetera. ira quippe per uicium mentis oculum excecat. ira autem per zelum turbat. quia quo saltem recti emulatione concutitur ea que nisi tranquillo corde percipi non potest contemplatio dissipatur. ipse namque zelus rectitudinis quia inquietudine mentem agitat eius mox aciem obscurat ut altiora in commotione non uideat. Que bene prius tranquilla cernebat. sed inde subtilius ad alta reducitur unde ad tempus ne uideat reuerberatur.

De hac iterum psalmista ait: *Turbatus est prae ira oculus meus*. Ira quippe per uitium oculum mentis excaecat, ira autem per zelum turbat quia quo saltim recti aemulatione concutitur, ea quae nisi tranquillo corde percipi non potest, contemplatio dissipatur. Ipse namque zelus rectitudinis quia inquietudine mentem agitat, eius mox aciem obscurat, ut

altiora in commotione non uideat, quae bene prius tranquilla cernebat. Sed inde subtilius ad alta reducitur, unde ad tempus ne uideat, reuerberatur.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.45 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.279-80, ll.134-143). cf. Ps. 6:8

53. Paruulum occidit inuidia. paruulus est qui inuidia occiditur. quia nisi ipse inferior existeret de bono alterius non doleret. sed inter hec sciendum est quia quamuis per omne uicium quod perpetratur humano cordi antiqui hostis uirus infunditur in hac tamen nequitia tota sua uiscera serpens concutit et imprimende malitie pestem uomit.

Et paruulum occidit inuidia…. Paruulus itaque est qui inuidia occiditur quia nisi ipse inferior existeret, de bono alterius non doleret. Sed inter haec sciendum est quia quamuis per omne uitium quod perpetratur, humano cordi antiqui hostis uirus infunditur in hac tamen nequitia, tota sua uiscera serpens concutit, et imprimendae malitiae pestem uomit.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.46 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.281-2, ll.1, 18-24).

54. Per salomonem dicitur. uita carnium sanitas cordis. quia si mentis innocencia custoditur etiam si qua foris infirma sunt quandoque roborantur. et recte subditur. putredo ossium inuidia. quia per liuoris uicium ante dei oculos pereunt etiam fortia acta uirtutum.

Vnde bene per Salomonem dicitur: *Vita carnium, sanitas cordis; putredo ossium inuidia*…. Bene ergo dicitur: *Vita carnium, sanitas cordis* quia si mentis innocentia custoditur, etiam si qua foris infirma sunt, quandoque roborantur. Et recte subditur: *Putredo ossium inuidia* quia per liuoris uitium, ante Dei oculos pereunt etiam fortia acta uirtutum.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.46 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.282, ll.39-41, 46-52). cf. Prou. 14:30

55. Qui liuoris peste plene carere desiderat illam hereditatem diligat quam numerus coheredum non angustat que et omnibus una est et singulis tota. que tanto largior ostenditur quanto ad hanc percipiencium multitudo dilatatur. imminutio ergo liuoris est affectus surgens interne dulcedinis. et plena eius mors est. perfectus amor eternitatis.

Qui ergo liuoris peste plene carere desiderat, illam haereditatem diligat, quam cohaeredum numerus non angustat; quae et omnibus una est et singulis tota; quae tanto largior ostenditur, quanto ad hanc percipientium multitudo dilatatur. Imminutio ergo liuoris est affectus surgens internae dulcedinis et plena mors eius est, perfectus amor aeternitatis.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.46 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.283, ll.60-64).